



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. I. Definitio & diuisio Augmentationis substantialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPVATIO SECVNDA.

De Augmentatione substantiali.

SECTIO I.

Definitio & divisio Augmentationis
substantialis.

AUGMENTATIO substantialis est motus à minori ad maiorem substantiam. Illud motus ponitur loco generis, quia in eo conuenit cum generatione & alteratione. Per *ad a minori ad maiorem substantiam*, differt à diminutione, quæ est motus à maiori ad minorem. Per *ad substantiam* differt ab accretione, quæ est circa accidentia. A generatione autem substantiali differt per *ad a minori ad maiorem substantiam*, quia generatio est à non substantiâ ad substantiam, id est à non igne ad ignem, à non equo ad equum; at verò augmentatio est ab igne ad maiorem ignem, ab homine ad maiorem hominem, quod est esse à substantiâ ad maiorem substantiam.

Aduerte, omnem augmentationem esse generationem saltem vnionis cõtinuatua: è contrario autem non omnem generationem esse augmentationem, quia hæc est per additionem nouæ partis integrantis, generatio autem potest esse solius partis essentialis, tunc autem non erit augmentatio.

1 Sed obiicies: Quando viuens alitur, & plus substantiæ deperdit quàm accipit, (vt contingit in senibus & ægris) datur motus à minori ad maiorem substantiam, & tamen non datur augmentatio, quia plus diminuitur viuens quàm augetur, ergo definitio non est bona. Aduerte, in prædicto casu dari duos motus, vnum à minori ad maiorem substantiam, alium à maiori ad minorem. Primus est augmentatio, secundus verò diminutio. Per primum verè augetur animal, minuitur tamen per secundum. Et quia hic est maior quàm primus, absolute magis diminuitur quàm augetur: sicut si quis in vas aquam infunderet, verè illa infusio esset augmentatio aquæ vasis, licet aliàs per foramen vasis plus aquæ effunderetur, & consequenter absolute non cresceret aqua in vase, imò potius minueretur, ideoque omnibus pensatis possit dici, ibi non esse augmentationem.

2 Secundo obiicies, differentiam augmentationis à diminutione non explicari in prædictâ definitione, quia *ad maior & minor substantia* non differunt essentialiter. Respondeo, in prædictis definitionibus explicari differentiam essentialem: nam terminus à quo augmentationis est carentia, quod explicatur per verbum à minori substantiâ; terminus à quo diminutionis est positua substantia, quod explicatur per *ad a maiori substantiâ*: terminus autem ad quem augmentationis est posituus, id est, acquisitio nouæ substantiæ, è contrario autem terminus diminutionis est carentiæ præcedentis substantiæ, vnde diminutio & augmentatio differunt, sicut generatio & corruptio.

Augmentatio potest esse multiplex: Vna, quando substantia fit maior per vnionem cum aliâ parte eiusdem substantiæ antè productæ, vt quando vnionitur duæ partes aquæ vel alterius liquoris. Secunda, quando etiam simul produciuntur noua pars formæ substantialis, vt quando ignis augetur vnionendo sibi materiam stupæ, & in eâ simul producendo nouam partem formæ ignis. Tertia, quando augetur substantia per solam productionem nouæ vnionis essentialis, & etiam continuatiua, vt quando augetur homo, tunc epim produciuntur noua vnio materiæ aduenientis cum præcedenti, quæ est continuatiua, & produciuntur etiam noua vnio essentialis animæ rationalis cum materiâ adueniente de nouo.

Dubitari potest, vtrum omnes hæc tres species augmentationis sint etiam aggenerationis. Questio est de voce. Si per aggenerationem intelligatur productionem nouæ partis formæ substantialis, vel vnionis formæ substantialis ad materiam, prima augmentatio non erit aggeneratio, quia in illâ, vt diximus, non produciuntur neque noua pars formæ, neque vnionis essentialis, sed solum noua vnio continuatiua: si autem per aggenerationem etiam intelligatur quodcumque augmentum substantiale, tunc omnes tres augmentationes erunt aggenerationes. Et hoc vltimum absolute arbitror verum, quia in illis generatur vnio continuatiua, quæ coniungitur cum præcedenti, quod proprie est aggenerari.

SECTIO II.

Difficultates aliquæ explicatæ.

PRIMA sit, vtrum augmentatio differat specie à primâ generatione. Respondeo, ex conceptu suo differre: nam prima generatio necessariò includit productionem formæ & vnionis essentialis, vt in compositis omnino materialibus; aut saltem vnionis substantialis, vt in generatione hominis: augmentatio autem formaliter dicitur productionem vnionis continuatiua, quæ differt essentialiter ab vnione substantiali. Dixi, ex conceptu suo, nam aliquando per accidens ea duo coniunguntur, vt cum ignis vnit sibi nouam materiam, in quam introducit etiam formam ignis: est enim ibi prima generatio respectu vnus partis, quæ simul est aggeneratio seu augmentatio respectu antiquæ.

Secunda difficultas, an isto casu dentur duæ actiones substantiales diuersæ. Negant nonnulli, quia eadem est specie forma ignis producta in primâ generatione, cum producta per augmentationem; ergo non sunt ibi duæ actiones essentialiter diuersæ. Affirmant alij: nam licet ex eo capite non sint duæ, quia tamen aggeneratio hæc includit productionem vnionis continuatiua, & simul vnionis essentialis, debent esse ibi duæ actiones; & ex hoc capite inferunt, aggenerationem differre essentialiter à primâ generatione, quæ solum includit productionem vnionis essentialis. Hæc secunda sententia quoad doctrinam quam